

# MELISSA



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## LATINE COMMUNICARE DEDECET

Nobis licuit fasciculum secundum (m. Apr. 1992) evolare cuiusdam periodici Francogallice scripti cui Latinus titulus est: Hic et Nunc. In lucem editur a moderatoribus Fundationis Maurice Maraite<sup>1</sup> in regione Leodiensi (v. Liège in Belgica) conditae ad studium linguae cultusque civilis Romanorum Graecorumque promovendum.

Yves Tinel, inspector magistrorum qui linguam Latinam et Graecam in dioecesi Leodiensi docent, interrogatur in hoc fasciculo quid sentiat de vivo sermone Latino (Fr. le latin vivant) et respondet nonnulla scitu digna de quibus infra referimus, cum dilucide exprimant regentium sententiam officialem.

"Utilia, inquit, mihi videntur esse periodica velut *'Adulescens'* vel *'Juvenis'*, cum fabellae nubeculatae verae participes sint culturae hodiernae... Puto tamen utilius esse comoediam Plautinam in fabellam nubeculatam transformare quam Titini facinora, cum comoedia Plautina secum vehat culturam vere Romanam.

Laudandum est comoediam Plautinam agere, quae in taeniam cinematographicam recipiatur et casetis magnetoscopicis diffundatur. Sed **nostris temporibus Latine loqui est insanum**. Cultura Romana iam diu non exstat; eam nostra aetate restituere est ficticium. Certe quodam modo permanet in hodiernis culturis, sed transformata i.e. non eadem ac illa quae Romanorum fuit. Si nonnulli



Exstant, exstant tamen regiones ubi magistri discipulos inducant, ut Latine loquantur. Ex hac imagine sumpta e libro Finnico patet omnes pueros, etiam ignavissimos, aliquid Latine dicere posse: noster enim discipulus in mensa scribit haec verba: "Ave, magister, dormiturus te salutat!"  
(M.L. KALLELA, T. OKSALA, U. PAANANEN, E. PALMEN, Ad fontes, Helsinki 1982, II p.86).

*hodie delectantur Latine loquendo, habeant sibi! Sed sermonem Latinum in usum communem reducere est limen quod intrare dederet.*

*Aliquid narrabo: Arpini quondam, cum habere tur annuum certamen translationis ex Latino in vernaculum sermonem, quidam Francogallus particeps oratiunculam Latine habuit de statu institutio nis Latinae in sua regione; infeliciter Itali auditores nihil intelleixerunt propter eius pronuntiatum accentumque! Lingua enim Latina omnibus extranea facta est; quare singulae nationes, si sermone Latino uterentur, suo modo Latine loquerentur, unde fieret ut inter se non intellegerent."*

\*  
\* \*

Inspectorem institutionis Latinae tam ignarum esse rerum Latinarum stupendum est, sed ex eius verbis dilucide percipitur quantā fossā officialis institutio Latina separetur a Latinitate viva.

Haec fossa originem historicam habet, quam ante oculos reponere non inutile est.

Non eodem tempore in singulis Europae regionibus, sed ad minimum ante unum saeculum in omnibus, officialis linguae Latinae usus a regenti bus prohibitus est. Lingua Latina, quae per multa saecula Europaeum instrumentum communicationis erat, imprimis redacta est ad statum insignis educationis ornamenti et recentius solum obsoletae mentis exercitationis. Ab eodem tempore per institutionem scholarem ingens mendacium in discipulorum mentem insinuatur: lingua enim Latina assimilatur rei vetustissimae, quae tantum pertinet ad aetatem Romanam; nihil de uberrima vividissimaque Latinitate, quae eruditorum Europaeorum instrumentum communicationis fuit usque ad recentiore mutationem rerum publicarum status.

Aetate Veteris Regiminis, quod dicitur, princeps erat fundamentum regiminis; eius imperium constabat ex diversis nationibus (sensu antiquo), quarum incolarum singularitatem sermonemque patrium vix curabat, cum subiecti ex eo directe penderent et inter se cohaerere non necessario deberent.

Sed, eversis vel impeditis principibus, novum fundamentum inveniendum erat ad orphanas res publicas confirmandas. Principis cultui substitutus est cultus nationis. Antiquum vocabulum nationis tantum significabat populum a ceteris quadam singularitate distinctum. Sensu moderno, natio est populus ex quo constat quaedam res publica; eius lingua, quae dicitur nationalis, est praecipua singularitas, qua a ceteris nationibus distinguitur. Iurisconsulti subtilius dicunt nationem esse communatem politicam a singulis

capitibus distinctam, quae summam potestatem tenet.

Hic non est tractandum de rerum politicarum consequentiis post principatum ad nationem translatum. Soli effectus qui pertinent ad linguarum usum considerandi sunt.

Ut quaedam natio re vera exstare possit, ex experientia patet vinculum linguae nationalis ei necessarium esse; quae lingua praevalet et in scholis praecipue docetur una cum cultura historiaque speciali quas vehit. Lingua nationalis mox habetur sufficiens in omnibus rebus gerendis, unde fit ut lingua Latina inutilis molestaque declaretur. Infelicitus huius generis educatio cives in suae quemque nationis finibus carcerat et nationalismum gignit.

Quare nationes Europaeae seclusae manserunt et inter se infestae usque ad secundum bellum mundanum. Post cladem Europaeam, tam mutata erat mundi scaena ut haec condicio diutius tolerari non posset; quare nonnulli egregii homines conati sunt separata Europae membra in unum corpus iterum coniungere. Sed decursu annorum patuit maximum impedimentum esse multitudinem linguarum nationalium. Nam in singulis nationibus educatio manebat nationalis; nihil factum est ut «supranationalismus» Europaeus oriretur, qui tantum niti potest in cultu communis patrimonii culturalis et in usu restituto Europaeorum linguae historicae.

Quod si intellegant linguam Latinam docentes, operam facile dare possint ad eius usum restituendum. Eorum exemplo demonstrari potest quanto emolumento Europaeis coniungendis sit lingua Latina. Pauci hoc consilium adhuc inierunt, id quod non est mirandum cum et universitatis professores et institutionis inspectores et politici regentes non solum eos non incitent sed eos contra impediант.

\*  
\* \*

Iterum iterumque patet hoc: quamdiu circulus fautorum palam et officialiter restituendum linguae Latinae usum non postulabit, Latinitas viva communiter habebitur pro nugis. ■

Gaius LICOPPE

1) Fondation Maurice Maraite a.s.b.l., Collège St Martin, 101 rue de la Province, Seraing.

# DE HISPANIA ISLAMICA, ARABICE VOCATA

## *Al-Andalus* (II)

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

Anno 929 Abd al-Rahman al-Nasir, tertius nomine atque octavus Omaiada<sup>1</sup> dux Hispaniae, sibi assumit titulum califae<sup>2</sup> («amir al mu' minin = imperator creditum), quem amiserunt eius Damasci maiores octavo saeculo.

Hoc consilium videtur cepisse quia paulo ante (anno 910) in Aegypto duces Fatimidæ sibi iam arrogaverant titulum califae, quo maiorem auctoritatem comparaverant apud Mauros phylarchos, quibus mediis ex Africa septentrionali impor-


tabantur cerealia et aurum. Quod incommodum pensare putabat Abd al-Rahman III, cum ipse fieret califa.

In prima parte huius symbolae iam narravi quem in modum meschitam Cordubensem amplificandam ornandamque curavisset ut par fieret suae ampliori maiestati.

Sed meschita non sufficit. Nova urbs regia condenda est secundum morem Islamismi orientalis. Locus idoneus elegitur sub radicibus montis cui nomen hodiernum est Sierra Morena, quivix quinque chilometris abest a Corduba. Anno 936 vel 940 - res non certe constat - incohatur munitio. Iam ab anno 946 califa novam urbem habitat, cui nomen dat suea dilectissimae concubinae: Madinat al-Zahra, i.e. Urbs Zahrae. Homines emolumentis alliciuntur ut habitantium frequentiam augent.

Urbem dilatare pergit filius primi califae, nomine al-Hakam II. Califatus Cordubensis vergente decimo saeculo ad fastigium opulentiae potentiaeque pervenit. Nulla urbs in occidente tunc ei par est.


Iam nono saeculo magna mutatione facta erat in modo vivendi aulico. Cuius mutationis auctor est persona quasi mythica c.n. Ziryab. Qui, cum esset adulescens, Bagdati vivebat in aula califae Abassidae al-Mahdi, ubi musicam mirum in modum didicit. Paulo post ab amicitia califae infeliciter remotus statuit anno 821 aulam Bagdatensem relinquere atque meliorem fortunam in occidente temptare. Maiorem vitae partem egit in aula Cordubensi: scholam musicam ibi condidit, in



*Madinat al-Zahra, prope Cordubam - horti et nonnulla aedificia ab archaeologis mirum in modum sunt restituta. Hic est oculus salutationis sollemnitatis dicatus; muri ornati sunt incisis delineamentis, quorum exemplum videtis p. 5.*

qua eius frequentes filii filiaeque etiam docuerunt. Cordubam non solum modos musicos Bagdatenses attulit, sed etiam elegantem vivendi artem, mores exquisitos, ritus aulicos, curam vestimentorum eligendorum.

Eo tempore quo Ziryab Cordubam advenit, Omaïada aula satis dives facta est ut has mutationes accipere possit. Ex oriente plures pluresque confluunt mercatores; pretiosa textilia importantur ex Aegypto, Persia, Byzantio; ipsi artifices ex his regionibus in urbem adducuntur. Hispani serum fabricari incipiunt, imprimis Cordubae, postea Almeriae. Abd al-Rahman II, qui imitari velit regales fabricas Mesopotamiae, Aegyptii vel Constantinopolis, suam condit fabricam (dar al-tiraz) in qua serica, lana, gossypina conficiuntur, nomine principis signata, quae aulicis legatisque dono dentur.



*Madinat al-Zahra, oecus sollemnis - pars posterior similis est meschitarum aediculis, in quibus Coranum exponitur (mihrab)*

Antea mos erat hiberno tempore vestimenta gravia et fusca gerere, aestivo vestes tenues clarasque. Ziryab vestimenta assert veri autumnaque apta. Usum odoramentorum insuper inducit, quae viros etiam licet sibi infundere. Nobiles suavibus unguentis nitent, honorati hospites seplasiis illinuntur. Conclavia sive thure sive fragrantibus candelis odorantur. Aromata non solum pertinent ad pulchritudinem voluptatemque, sed etiam ad medicinam, atque in pharmacopoliis conficiuntur, inter quae maximum est pharmacopoliū urbis Madinat al-Zahra (Khzanat al-ad-wiya): ibi tractantur calculi physteteris (Fr. ambre gris), muscus, camphora, substantiae magno pretio importatae, quae habentur dona pretiosissima.

In superiore Melissae fasciculo, p. 4, pyxidem eburneum ostendimus quae pertinebat ad seplasia offerenda.

Ebur regioni Mediterraneae diu defuit, sed medio decimo saeculo magis magisque abundat propter commercium cum Africa septentrionali. Ex Tunesia et Maroccio advehitur; textus inventus est, quo testificatur Maurum ducem Zuhayri ibn Atiyya 8000 libras eboris dedisse califae Hisham II.

Ziryab etiam curat artem comedendi cibosque praeparandi. Index dapum est longus atque pendet a tempore dignitateque hospitum. Mensae splendide sternuntur; locum et pulvinaria accipiunt convivae secundum dignitatis gradum. Vasa fictilia etiam fiunt pulchriora.

Califa paulatim fit semideus, quem rarissime licet aspicere. Magnificis sollemnitatibus eius potentia celebratur; ei, quibus non contigit eas videre, relationes his occasionibus conscriptas legere possunt. Ibi multa miranda narrantur: secundum viam Corduba-Madinat al-Zahra, exempli gratia, duplex militum ordo dicitur dispositus esse.

Madinat al-Zahra habetur ut illius aetatis insigne, quamvis paucissimis vestigiis ibi inventis ostendatur qualis fuerit artium splendor. Nihilominus Corduba et Madinat al-Zahraconiunctae tantum valent quartam partem urbis Bagdati, quae nono et decimo saeculo est totius orbis maxima ditissimaque.

Ad aemulandum califa nihil neglegit: in nova urbe praetorianos suos collocat, commeatum, monetam publicam (Dar al-sikka), officinas textilium confiendorum (Dar al-tiraz) aliasque fabricas (Dar al-sina'a).

Tertius califa Hisham II non ipse regnat: praefectus palatii Ibn-Ali-Amir cognominatus al-Mansour (i.e. Victor) ab anno 976 imperii clavum tenet. Ex Africa septentrionali Maurorum tribus iterum arcessit, quae califae exercitum augeant. Quibus circa Cordubam collocatis, ultimam amplificationem meschitae Cordubensis suscipit, magno detimento huius aedificii elegantis perfectio-

Praefectus Ibn-Ali-Amir exercitum auctum renovatumque ducit atque vastat omnia regna Christiana, unde eius cognomen al-Mansour; inter alia Compostellatum sanctuarium Sancti Iacobi spoliat, cuius cloccas Corbubam reducit, humeris captivorum transvectas (anno 997).


Ceterum al-Mansour urbem regiam Madinat al-Zahra iam relinquit: nam novam urbem regiam, etiam iuxta Cordubam sitam, condit: agitur de Madinat al-Zahira. Illuc anno 981 transfertur sedes regiminis, ita ut vix 35 annis post inaugurationem Madinat al-Zahra iam cooperit relinqu.

Sed rota fortunae convertitur: ineunte altero millennio oritur bellum civile, cuius exitus est califatus abolitio (anno 1031). Splendidum palatium Madinat al-Zahra ne semisaeculum quidem in usu fuit; a militibus Mauris spoliatur deleturque; omnis materia pretiosa a ruinis abripitur. Urbs per multa saecula pulvere sepulta memoriāque elapsa manet; praeterito tantum saeculo archaeologi Hispani incipiunt eam effodere et partim restaurare.

Id quod iam invenerunt, hodie licet visitare. Cuncta huius urbis aedificia pertinent ad califam extollendum. Superficies divisa est in tres gradus; insimum nondum est eruderatum; ipse califa supremam partem habitat. Ibi est oecus salutationis (Hispanice "salon rico"), qui pertinebat ad sollemnitates agendas legatosque extra-neos accipiendo; exstructus est inter annos 953-956 ut patet ex quadam inscriptione. In hoc oeco ad perfectionem pervenerunt proprietates arcus califalis qui dicitur «equina solea ferrea». Arcus pars interior est implexis delineamentis ornata; arbor vitae (quam in subiuncta imagine videtis) est mixtura ornamentorum Abassidorum Omaiadorumque.

Per duo saecula, per quae Muslimi regnaverunt, Hispania meridionalis feliciter crevit: agri novis rationibus colebantur; introducebantur serum, oryza, palmae. Sed res politicae non ita florebant: nam difficile erat tam magnum territorium ex uno loco regere, cum deesset experientia gubernandi copiaque militum.

Sic factum est ut vergente decimo saeculo plerique provinciarum praefecti libertatem sibi vindicarent. Quae aetas dicitur esse «regnorum Taifae» (a. 1031-1086); urbes Malaca, Illiberris (Granada), Pax Julia (Badajoz), Valentia, Almeria, Caesarea Augusta (Zaragoza), Toletum, impetum tunc capiunt non solum politicum, sed etiam culturalem.



*In muris palatii Madinat al-Zahra:  
arbor vitae delineata.*

Denique anno 1492, regno Muslimo dilapso, reges catholici Ferdinandus et Isabella Illiberrim, ultimam urbem Arabicam, recipiunt. Eis nunc licet alia proposita curare atque Christophoro Columbo naves tandem tribuere quas a compluribus annis exspectat. ■

- 1) Ut hac orthographia utamur nobis suadet Dr P.C. Eichenseer; nam Omaiadae Italice scribuntur 'omaiade', Hispanice 'omajádas', neograece οἱ Ὀμαΐάδες (ep. 17/07/92 data).
- 2) Hanc orthographiam etiam adhibemus suadente Dre P.C. Eichenseer : califa Arabice vocatur 'halifa'; illo tempore 'ph' et 'f' eodem modo proferebantur; insuper 'ph' litteris videbatur aliiquid elegantiae Graecae inesse (ep. 23/06/92 data).

# AMERICA (II)

PROPONIT FRANCISCA DERAEDT

*In superiore fasciculo legimus ea, quae Americus Vesputius de novis terris earumque incolis narravit in epistulis duci Lotharingiae dedicatis. Sequitur descriptio morum, quos ibi miratus est.*

## DE MORIBUS AC EORUM VIDENDI MODIS<sup>1</sup>

 *S*implices in loquela se ostentant, verum callidi multum atque astuti sunt. Perraro et submissa voce loquuntur, eisdem quibus utimur accentibus utentes. Suas ut plurimum voces inter dentes et labra formantes, aliis utuntur vocabulis quam nos. Horum plurimae sunt idiomatum varietates, quoniam a centenario leucarum in centenarium diversitatem linguarum se mutuo nullatenus intelligentium reperimus.

Comessandi modum valde barbarum retinent nec quidem notatis manducant horis, sed sive nocte sive die, quoties edendi libido suadet. Solo manducantes accumbunt et nulla mantilia nullave gausapa, cum lineamentis pannisque aliis careant, habent. Epulas suas atque cibaria in vascula terrea, quae ipsimet configunt, aut in medias cucurbitarum testas, ponunt.

In retiaculis quibusdam magnis ex bombice factis et in aere suspensis dormitant; qui modus quamvis insolitus et asperior fortassis videri queat, ego nihilominus talem dormitandi modum suavem plurimum iudico. Etenim cum in eisdem eorum retiaculis mihi plerumque dormitasse contigerit, in illis mihi ipsi melius quam in tapetibus, quae habebamus, esse persensi.

Corpore valde mundi sunt et expoliti, ex eo quod se ipsos frequentissime lavant. Et cum egestum ire, quod salva dixerim reverentia, coacti sunt, omni conamine nituntur, ut a nemine percipi possint; qui quidem in hoc quantum honesti sunt, tantum in dimittenda urina se immundos inverecundosque tam mares quam feminae præbent, cum siquidem illos nobiscum loquentes et coram positos suam impudicissime urinam saepius eminxisse perspeximus.

Nullam legem, nullum legitimum thori foedus in suis connubiis observant, quinimmo quotquot mulieres quisquam concupiscit, tot habere, et dein

illas quandocumque volet, absque hoc quod id pro iniuria aut opprobrio habeant, repudiare potest. Et in hac re utique tam viri quam mulieres eadem libertate fruuntur.

Zelosi parum, libidinosi vero plurimum extant, magisque feminæ quam masculi, quarum artificia ut insatiabili suae satisfaciant libidini hic honestatis gratia subtacenda censuimus. Eae ipsæ in generandis parvulis secundæ admodum sunt, neque dum gravidae effectæ sunt poenas aut labores evitant. Levissimo minimoque dolore pariunt, ita ut in crastinum alacres sanataeque ubique ambulent; præsertimque post partum in flumen quodpiam sese ablutum vadunt, tumque sanae mundataeque inde veluti pisces apparent.

Crudelitati autem ac odio maligno adeo deditæ sunt, ut si illas sui forsitan exacerbaverint viri, subito certum quoddam efficiant maleficium, cum quo præ ingenti ira proprios fetus in propriis uteris necant, abortiuntque deinde, cuius rei occasione infiniti eorum parvuli pereunt.

Venusto et eleganti proportione compacto corpore sunt, ita ut in illis quicquam deforme nullo inspici modo possit. Et quamvis disnude ambulent inter feminas, tamen earum pudibunda sic honeste reposita sunt, ut nullatenus videri queant, præterquam regiuncula illa anterior, quam verecundiore vocabulo pectusculum imum vocamus, quod et in illis utique non aliter quam honeste natura ipsa videndum reliquit. Sed et hoc nec quidem curant, quoniam, ut paucis expediam, non magis in suorum visione pudendorum moventur, quam nos in oris nostri aut vultus ostentatione. Admirandam pervalde rem ducerent, mulierem in eis mamillas pupasve laxas, aut ventrem rugatum ob nimium partum habentem, cum omnes aequi integrae ac solidae post partum semper appareant, ac si numquam peperissent. Hae quidem se nostri cupientissimas esse monstrabant.

Neminem in hac gente legem aliquam observare vidimus, nec quidem Iudæi aut Mauri nuncupari solide queunt, cum ipsis gentilibus ac paganis multo deteriores sint. Etenim non persensimus quod sacrificia ulla faciant aut quod loca orationisve domos aliquas habeant.

Horum vitam, quae omnino voluptuosa est. Epicuream existimo. (...)

(...) Haecce vero tellus tam bona est, ut vix dari melior queat. Concordavimus autem, ut illam derelinquentes, longius navigationem produceremus. Qua unanimitate suscepta, nos dehinc aridam ipsam collateraliter semper sectantes, nec non gyros multos scalasque plures circumneuntes, et interim cum multis variisque locorum illorum incolis conferentiam habentes, tandem certos post aliquot dies portui cuidam applicuimus... (...)



d pagum unum novem dumtaxat domorum venimus, ubi cum tot tamque barbaris caerimoniis ab eis suscepti fuimus, ut scribere penna non valeat, ute potem cum choreis et canticis ac planetibus hilaritate et laetitia mixtis, nec non cum ferculis cibariisque multis. Et ibidem nocte illa requievimus, ubi proprias uxores suas nobis cum omni prodigalitate obtulerunt; quae quidem nos sic importune sollicitabant, ut vix eisdem resistere sufficeremus.

Postquam autem illic nocte una cum media die perstitimus, ingens admirabilisque populus absque cunctatione stuporeque ad nos inspiciendos advenit, quorum seniores nos quoque rogabant, ut secum ad alios eorum pagos, qui longius in terra erant, cominearemus, quod et quidem eis annuimus. Hic dictu facile non est, quantos ipsi nobis impenderunt honores. Fuimus autem apud quam multas eorum populationes, per integras novem dies cum ipsis euntes, ob quod nobis nostri qui in navibus remanserant, rettulerunt socii se idcirco plerumque in anxietate timoreque non minimo extitisse.

Nobis autem bis novem leucis aut circiter in eorum terra existentibus, ad naves nostras redire proposuimus. Et quidem nostro in regressu tam copiosa ex eis virorum ac mulierum multitudo accurrit, qui nos usque ad mare prosecuti sunt, ut hoc ipsum mirabile foret. Cumque nostri quemplam ex itinere fatigatum iri contigeret, ipsi nos sublevabant et in suis retiaculis, in quibus dormitant, studiosissime subvehebant. In transitu quoque fluminum, quae apud eos plurima sunt et maxima, sic nos cum suis artificiis secure transmettebant, ut nulla usquam pericula pertimescere mus.

Plurimi etiam eorum eos comitabantur rerum suarum onusti, quas nobis dederant, in retiaculis illis quibus dormiunt vectantes plumaria, videlicet, praeditia, nec non arcus multos sagittasque multas ac infinitos diversorum colorum psittacos. Alii quoque complures, supellectilem suam totam ferentes, animalia etiam sua secum ducebant.

Et quiddam admirabile dicam, quod is se fortunatum felicemque putabat, qui in transmeandis aquis nos in collo dorso suo transvectare pote-

rat. Quamprimum autem ad mare pertigimus, et faselos nostros concendere voluimus, in ipso faselorum nostrorum ascensu, tanta ipsorum nos comitantium et nobiscum ascendere concertantium ac naves nostras videre concupiscentium pressura fuit, ut nostri idem faseli paene p[re]pondere submergerentur.

In ipsis autem nostris eisdem faselis recepimus ex eis nobiscum quotquot potuimus ac eos ad naves nostras usque perduximus. Tanti etiam illorum per mare natantes et una nos concomitantes advenerunt, ut tot adventare molestiuscule ferremus, cum siquidem plures quam mille in nostras naves, licet nudi et inermes, introissent, apparatum artificiumque nostrum nec non navium ipsarum magnitudinem mirantes.

Ast tunc quiddam risu dignum accidit: nam cum machinarum tormentorumque bellicorum nostrorum quaedam exonerare concuperemus, et propter hoc imposito igne machinae ipsae horridissimae tonuissent, pars illorum maxima, auditu huiuscemodi tonitruo, sese in mare natitans precipitavit, veluti solitae sunt ranae in ripa sidentes; quae si fortassis tumultuosum quicquam audiunt, sese in profundum luti latitudinae immergunt, quemadmodum et gens illa tunc fecerunt, illique eorum qui ad naves aufugerant, sic tunc perterriti fuerunt, ut nos facti nostri nosmet reprehendemus. Verum illos mox securos esse fecimus nec amplius stupidos esse permisimus, insinuantes eis quod cum talibus armis hostes nostros perimeremus.

Postquam autem illos illa tota die in navibus nostris festive tractavimus, ipsos a nobis abituros esse monuimus, quoniam sequenti nocte nos abhinc abscedere cupiebamus. Quo audito, ipsi cum summa amicitia benevolentiaque mox a nobis egressi sunt. (...)

(...) Et quia nunc tredecim iam mensibus in navigatione nostra perstiteramus, et navalia nostra apparatusque nostri toti paene consumpti erant, hominesque labore perfacti, communem inter nos de restaurandis naviculis nostris, quae aquam undique recipiebant, et repetenda Hispania inivimus concordiam. ■

(1) Simonis GRYNAEI *Novus orbis regionum ac insularum veteribus incognitarum*, Basileae apud Io. Hervagium, 1555, p. 213-219.

# IOSEPHI MARIANI PARTHENII SIVE MAZZOLARI (1712-1786) EPISTULAE (III)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

## VIII

Iosephus Marianus Parthenius Laurentio  
Santenio iurisconsulto S.P.D.<sup>1</sup>

Etsi iam pridem Musis nuntium remiserim et poetica studia aetati huic meae in dies magis ac magis ingravescenti et ad praestitutum a natura vivendi exitum magnis passibus appropinquanti nequaquam sint amplius accommodata, me tamen continere non potui quin Traiectensem Sexti Aurelii Propertii editionem tuam, cuius mihi copiam communis amicus Vitus Iuvenatius perhumaniter fecit, in manus sumerem totamque pervolutarem. Quid vero de ea dicam aut sentiam? Non aliud certe, nisi quod editio ipsa de se loquitur ac praedicit, esse nimirum - sive rerum copiam, sive exquisitam erudititionem, sive accuratam diligentiam consideres - numeris omnibus expletam, nihil ut ei desit, nihil ut addi, nihil mutari emendarique posse videatur. Optandum quidem fuisse ut a Petro Burmanno Secundo viro doctissimo atque institutore tuo, qui ad eam adornandam multos annos impenderat et dimidia iam parte opus typis commiserat, optandum (inquam) ut perduci ad exitum potuisset.<sup>2</sup> Sed quandoquidem in ipsa operis molitione evivis ereto id negatum fuit, nihil opportunius contingere potuit quam ut incohatum opus in manus tuas perveniret, qui illud sic absolveres, ut praeclaris summi viri inceptis plane congrueret ac responderet. Et vero te tamquam scientissimum architectum praestitisti, qui alieno admovens aedificio manus tanta illud adjunctarum proportione partium ac tam apta descriptione exaedificasti, ut ei magnificentius a quovis alio imponi fastigium non potuerit. Qua in re dicam id quod plane sentio: sic praestitisti, ut mihi quidem tanti operis non perfector, sed molitor et auctor visus sis, usque eo ut multa quae addidisti de tuo consentiant cum reliquis et unum quid efficiant miro quodam artificio ex pluribus coalescens atque compactum. Quare primum gratulor Petro Burmanno institutori tuo, qui talem ac tantum discipulum nactus est, qui totam studiorum suorum rationem non didicerit solum sed penitus animo combiberit, deinde tibi, vir doctissime, editionem perfectam et longe locupletiorem effectam, quam

non est cur dubites quin evasura sit et amicissimis quos appellas institutoris tui Manibus et utriusque nomini honorificentissima. Vale.

## IX

Parthenius Raimundo Cunichio sodali suo S.P.D.<sup>3</sup>

Si tibi uni Iliadem e Graeco in Latinum carmen conversam gratuler<sup>4</sup>, minus certe videar eximii ac praeclarissimi operis excellentiam agnoscere. Tale enim est opus hoc tuum ut non tam ad te, quam ad universam debeat litterariam rem publicam gratulatio pertinere. Dolebamus poetarum facile principem nequaquam omnibus qui litteris dant operam patere ad eumque optabamus ut a viro et acerrimo ingenio et singulari quadam facultate praedito illustris aditus ac magnificus aperiretur. Quotus enim quisque est qui Graece sciat, et ita sciat ut Homericu carminis vim, leporem elegantiamque assequatur? Aggressi quidem sunt aliquot doctissimi viri et utriusque linguae scientissimi Homerum Latino carmine efferre, sed il partim infortunio, partim conversis alio studiis in ipso suscepti operis molamine defecerunt et nobis tantummodo tenue quoddam industriae suae specimen reliquerunt. Solus Helius Eobanus in incepto perstitit et quod incoharat absolvit. Sed ut eius laudes in incepto constantiam, nihil, ut mihi quidem videatur, praeterea est quod aliqua vera laude dignetur. Dicam de me et quod expertus ipse fui libere expromam. Ego sane cum mihi Homerum omnino legendum constituisse, ne prorsus in tanti poetae unde "ceu fonte perenni vatum Pieris ora rigantur aquis"<sup>5</sup> prorsus ignoratione versarer, ad Eobanicam versionem<sup>6</sup>, quae sola deducta erat ad calcem, necessario confugiendum fuit. Verum vix eam legere institui, tam auribus meis, quas Vergilianis modis assuefeceram, absona atque incondita visa est, ut illam continuo repudiaram, ne inde in me detrimenti plus, quod nolebam, quam emolumenti, quod in ea lectione spectabam, redundaret. Itaque ut tantum vatem aliquo modo haberem cognitum, consultius existimavi versionem alteram, quae verbum verbo reddit, adire eamque properando decurrere. Sed haec Homerum magni-



fice illum quidem ingredientem et cum granditate quadam ac maiestate progredientem ita abicit ac prostrernit humi, ut prope infra humum ipsam compellere ac detrudere videatur. Quid facerem? Dura sane ac gravis molestia necessario subeunda fuit ut, si minus delectari, erudiri saltem possem et de tot tantisque rebus, quarum mira quaedam ac prope incredibilis in Homero copia est, aliquo modo edoceri. Hactenus de me. De te autem quid dicam? Quibus verbis, qua oratione operis tui praestantiam excellentiamque exaequare me putem posse? Tu solus ad tantum opus acerrimum ingenium et singularem facultatem et non intermissam contentionem attulisti. Tu Homeri aequa ac Vergilii vim totamque condendorum carminum rationem assecutus eam carminibus exprimere tuis potuisti. Tu denique interpretationem tuam sic utriusque indoli atque ingenio attemperasti, ut Homerum legens mihi videar expressam Vergilii effigiem cernere. Ne longum faciam, quem tu interpretationem eximium et numeris omnibus absolutum postulasti, qualis antea non extitit et fortasse desperandum erat extiturum, cuius absolutissimam formam animo te habere comprehensam affirmas, cui faves, quem admiraris, cuius excellentiam contemplans tu te ipse tuamque interpretationem despicias, hunc ego non futurum prospicio, non opto ut existat, sed in te praesentem et cerno et contempnor et admiror, tibique interpretationem tuam quanta maxima possum verborum significatione gratulor. Macte igitur isto tuo opere, ut quisvis alius siquid simile temptare in posterum cogitet de tanta assequenda praestantia desperet et alio studia sua convertere conatusque cogatur. Quare vides ut ab initio exorsus sum, esse profecto cur non tam tibi opus hoc tuum quam universae litterariae rei publicae valde gratuler; quod vero ad me attinet, est cur doleam quod in senectam meam dilatum mihi amplius usui esse non possit, quo ego adiumento ad poeticam facultatem omnino, ut arbitror, necessario, si minime caruisse, aliquid certe melius hoc in genere et perfectius edidisse. Vale.

X

Parthenius Ioanni Mariano fratri carissimo S.P.D.

Quid facias? Ibi figenda, dum vivimus, statio est, ubi Deus nos constituit; hoc vero non impedit quominus eo semper animo et cogitatione spectemus ubi statio sempiterna futura sit. Hic omnia fluxa, incerta, brevia, caduca, fugacia; illic contra omnia rata, firma, certa, perpetua et nullo non tempore mansura. Non hic manentem habemus civitatem, sed futuram inquirimus<sup>7</sup>, unde exturbari non poterimus. Pulsi sumus e nostris sedibus, sed eo compulsi ubi sedere semper concessum erit.

Non miles, non aderit satelles qui migrare nos cogat. Cogita fratres nostros in carceribus inclusos aut solum vertere coactos; cogita lautumiarum Lusitanarum squalorem, situm, tenebras, angustias; cogita exilii maerorem, diuturnitatem, miseras: tum facilius, mihi crede, migrationes e collegiis ac domiciliis nostris incommoda perferes. Sed de his fortasse uberior. Addo, quod nostrae vocationis est diversa loca peragrare et vitam agere in quavis mundi plaga, ubi maius Dei obsequium speratur. Haec si considerabis, tibi propemodum a collegiis nequaquam discessisse et re ipsa in tua manere vocatione videberis. Vale.

XI

Parthenius Anonymo cuidam S.D.P.

Me summas in angustias coniecisti ex quibus nescio quomodo extricare me possim. Tibi quicquam negare nec debo nec audeo; sed tam multa, quae tuo scripto completeris, qua ratione Latine efferri et in artum compingi a me queant ignoro. Adde, quod eius generis sunt quae, si pluribus verbis non explicentur, aenigmata fiunt, quae non dicam Oedipus, sed ne Sphinx quidem ipsa interpretetur. His alia gravis accedit difficultas quae scribentem torqueat. Pleraque enim, quae Latine dici vis, cum domesticis rationibus dati atque expensi contineantur, non nisi aegre admodum eleganter et luculenter dici possunt. Praeterea in nonnullis non satis sensum assequor, qua in re non negligentiam accuso in scribendo tuam, sed tarditatem in intellegendo meam. Postremo non video cur amico scribens, qui nulla neque doctrinae neque Latinae linguae commendatione censeatur, Latinam et quidem elegantem ab amico scribi velis et potiori consilio patria lingua non utaris. Quare hac si molestia me liberaveris, mihi gratissimum facies. Vale.

- (1) Santenius Amstelodamensis (1764-1798) optimus erat poeta Latinus; idem absolvit Properti editionem quam incohaverat Burmannus (Traiecti ad Rhenum, 1780).
- (2) Petrus Burmannus Secundus Amstelodamensis (1714-1778) paeclarissimus philologus idemque poeta Latinus.
- (3) Cunichius (1719-1794) elegantissimus erat poeta Latinus; cfr. e.g. Croatici auctores qui Latine scripserunt, II: Auctores saec. XVII-XIX (Zagrabiae, 1970), pp. 433-539.
- (4) Prodiit Romae anno 1776.
- (5) OV. am. 3, 9, 25-26.
- (6) Heliti Eobani Hessi versio Basileae prodiit anno 1540; cfr. e.g. C. Krause, Helius Eobanus Hesus. Sein Leben und seine Werke (...), II (Gothae, 1879 = Nieuwkoop, 1963), pp. 246-252.
- (7) VULG. Hebr. 13, 14. ■

# CAROLUS QUINTUS SE REGNO ABDICAT

PROPONIT LEO STOELINGA

*Pierius Winsemius, Leovardiae in Frisia anno 1586 natus, defunctus anno 1644, ab Ordinibus Frisiae anno 1611 constitutus est officialis historiographus Frisiae.*

*Anno 1622 divulgantur libri, quibus - Nederländice - historiam Frisiae ab anno Creationis 3635 usque ad annum Salutis 1622 conscripsit. Pleraque eius opera autem Latine scripta sunt. Eius Historia-*

*rum ab excessu Caroli V Caesaris sive Rerum sub Philippo II per Frisiam gestarum ab anno MDLV usque ad annum MDLXXXI assertae libertatis libri septem posthumi anno 1646 edidit sunt secundum decretum Ordinum Frisiae.*

*Non indignum videtur vobis offerre primum capitulum, quo Carolus V Caesar se solio abdicat.*

## P. WINSEMII HISTORIARUM LIBER PRIMUS

**M**orte Maximiliani Burani Caesarei per Frisiam Praefecti<sup>1</sup>, qui ingenti Provinciae luctu Bruxellis anginā extinctus erat, suffectus a Carolo Caesare Joannes Lignaeus Arembergiae Comes. Cuius tristem ac turbulentam Praefecturam saevissima bellorum per Belgicam tempestas, mutatioque civilium subsecuta.

Postquam enim Carolo Caesari gravis senecta, et animus tranquillitatis avidus taedia regni et fluitantium per Europam bellorum peperere, destinatumque Philippo filio (quem anno MDXXVII XII Kalend. Jun. ex Isabella Emanuelis Lusitaniae Regis filia Carolus Caesar susceperebat) Belgarum Imperium fuit, tum velut infausto sidere, commoti animi praesagio eventurae calamitatis fluctuavere. Iudicantibus, ut in tali statu fieri solet, plerisque, Philippum Hispaniae et circumiacentium Regnum Principem, a suo caelo aut educatione alium, vel potentia gravem fore.

Alii verò novo in successore mitissimam rerum sortem et conditionem intuebantur, validis tum adhuc patriis legibus, nec adultā, ut solent, potentia infractis.

Ita promiscue Belgarum gentem spes, metusque agitabant, donec ille terrarum gentiumque victor, terror Europae, in Asia, Africaque dominator Carolus Caesar conventu omnium Belgicarum Ordinum ad VIII Kalend. Novemb. Bruxellis indicto<sup>2</sup> fidem faceret placituri in filio Imperii. Se Fato, ac divini numinis ope ad fastigia rerum enectum,

sed nunc gravem annis, neque oblitum humanae sortis melioribus desideriis agitari. Continuam sibi invaletudinem, nec parem molestiis senectam, esse aliquid in principe animo, quod post decurrentis aevi legem aeterna spectet, ad quae perveniri non nisi per tranquillitatem solitariae et nihil molestum versantis vitae possit. Itaque validis annis plurima bellorum per Europam, Asiam, atque Africam gessisse, ultra Herculis sui columnas, et mare Oceanum, velut destinatum magnitudini suae gyrum circumacta, quorum potissima subsidia a Belgica gente accepisset. Inde propensum sui in Provincias animum, quibus si satisfactum non esset, ut molestum lubricumque tam multa regendi onus est, darent patres veniam imbecillitati suae, spemque in Philippo filio Angliae rege (id enim quod post mortem Mariae Portugalliae, Mariam Anglorum Reginam matrimonio tenebat addi placuit) ponerent, beneficia fidemque Belgici populi, et si quae sint, paterni principatus deliquia novis virtutibus pensaturo. Quare Caesar filium monere moderati et clementis Imperii, populumque magnis in Burgundicam Austriamque domum meritis illustrem, e praescripto patriarcharum legum, ac avitae libertatis regat. Fore alias, ut saeviore dominatu fidā, sed bellaci gente commotā intestinae in eum partes exsurgant, cum ipsis civilium bellorum initiis terminum occasumque suae potentiae habiturum. Quibus stabiliendis valida cani atque augusti vultus maiestas erat.

Tum Caesari Gulielmi Nassovii Principis Austrariorum humeris innixo lacrimea fluxerunt, ut creditum fuit, miseratione, aut reverentiā coēuntium Ordinum, vel paterni erga Belgicam gentem, et

natales sibi cunas (Gandae enim Flandrorum natus erat) affectus argumenta.

Dein precatus Deum prospera sibi, et successori solio excessit, filiumque in eo collocavit tantarum rerum vivo patre heredem. Praeter Galliam enim Belgicam, quam Oceanus ingens Rhenique flumen, tum Sequanae fontes, et Vogesi iuga claudunt, regna mox Hispaniarum ac Siciliae, noviterque repertus Indiarum orbis Philippo accessere, translato quoque postmodum, (ne quid animus Caroli mortale curaret) in Ferdinandum fratrem maioris Germaniae Imperio.

\*  
\* \*

**D**ta omne Burgundiae domus patrimonium, quod occasu, et sterilitate principum familiarum in Philippo Bono, post Carolo Audace coaluerat, a morte Mariae Charlesiae, quae Maximiliano Frederici III Imperatoris filio nupserat, in Philippum Austrum, ac post Carolum Caesarem, et Philippum filium iustā successionē devolutum est.

Qui, etsi robustae aetatis Princeps, veniam imbecillitati orare, ac testari de affectu. Contra Ordines prompta obsequia polliceri, Caesarique Carolo imprimis grates agere, quod tot nationum in successore filio prospexisset incolumitati. Ut, quia Caesar ampli et diu gesti Imperii pertaesus quieto otio se dare, ac experiri privatae vitae felicitatem constituisset, Provinciae Belgicae conceptam ex abitu Caesaris aegritudinem successionē filii, tamquam iusto solacio, levarent. Id sibi gravissimi maeroris non leve remedium, et, si pericula post ingruant, grande munimentum fore. Se interim datus operam, ut regiae Maiestatis splendor iusta sui Principatus subsidia habeat, sentiatque se populum regere Principis sui reverentem.

Haec a Legatis Provinciarum, quae iam ante Burgundiae domui paruerant, pulchrā cum obtestatione fidei, ac integritatis Carolo coram Philippo que dicebantur. Quare Maria gubernatrix Philippo nepote principatum adepto Praefecturā Provinciarum se abdicavit, Emanueleque Philibertum Sebaudum Philippi consobrinum successorem accepit.

Hoc verō solummodo restabat, ut Transrhena Frisorum ora, (quam Maximilianus Austrius Caesar Friscae libertatis aemulus pro iure, ut ferebat, Imperii, etsi verius prolatandae Burgundiae domus potentiae, in Albertum Saxonem, Saxo

in Carolum cessione transtulerat) eodem Carolo Caesare adhuc rerum potiunte, et vergentibus sensim eiusdem annis, Burgundicis dicionibus in Philippo filio iungeretur.

Itaque Carolus rerum humanarum inconstiam, et fortunae (quae consilia eius per Germaniam confuderat) mutabiles, et incertas vices, tum brevitatem mortalī aevi expendens anno MDXLIX de maturandā Philippī filii per Frisiā inauguratione cogitaverat, ac ut ipse humanae legi obnoxius, confirmato herede, et successore, minore mentis inquietudine et mortalium rerum curā terris excederet. Quod factu iis temporibus arduum, ac difficile non erat. Praeterquam enim, quod tanti(s?) Caesaris consiliis refragari, tam Imperiosae, et sublimis potentiae fastigium non sinebat, ita hoc maxime ad exequendam Caroli voluntatem, et concilianda populi ingenia faciebat, quod tot annorum pacem suis Provinciis per externa arma, et illustres victorias peperisset, aureāque velut temporum felicitate florentissimus etiam tum populus uteretur.

Quare per omnem Belgicam Philippo filio herede proclamato, conventuque Ordinum Frisiae Ianuario mense anno MDL Leovardiae coacto, Carolus Caesar Philippum quoque filium heredem ac successorem ab iisdem Ordinibus renuntiari fecerat, tabulasque huiusmodi, procurante Ioanne Lignaeo Arembergio, Frisiae vicinarumque diccionum Praefecto, hac de re impetraverat:

(sequitur tabula, qua continentur nomina circa 160 virorum delegatorum Frisiae, qui iuriandum subscripserunt se post mortem Caroli Caesaris Philippo eius unico filio et heredi, tum heredibus, posterisque eius, ut veris hereditariisque Frisiae Dominis fideles subditos fore.) ■

1. Maximilianus, comes Buranus, graaf van Buren, + 1548. Etius filia unica, comitessa Anna van Buren, anno 1551 nupsit Gulielmi Nassovii Principi Aurantii, prins Willem van Oranje-Nassau.
2. Anno 1555

# ECCE DAEDALI ICARIQUE FABULA

SCRIPSERUNT DISCIPULI IOHANNIS LUDOVICI ROSSION

Hunc textum, Michaela Deklerck, Nadia Lambert, Stella Leclère, Sonia Méan et Catharina Servotte, discipulae quarti anni in Instituto Sacri Cor-

Minos rex, labyrinthum ad Minotaurum - filium suum sed monstrum! - celandum, aedificare voluit. Daedalus, celeberrimus architectus Atheniensis, hoc exstruxit. Minotaurus a Theseo occisus est (cfr Melissa Iunior X).

Uno die, Daedalus exire voluit Cretā ubi a rege Minoe claudebatur. Amore loci natalis tangebatur. Minos terras undasque sed omnino non caelum ei poterat obstruere. Sic per auras Daedalus aufugere statuit.

In ordine pennae ponuntur, inde hae mediae lino, imae cerā alligantur ut alas avis imitetur. Icarus, eius filius, ore residenti, una stat lusibusque opus patris mirabile impedit. Opifex ipse, postquam operi coepto manum imposuit ultimam, corpus in geminas alas librare conatur. Daedalus filio suo dicit: «Noli volare celstorum ne solis ignis pennas adurat, demissior ne maris aqua eas gravet. Inter utrumque vola et me sequere.»

Pariter alas umeris Icarī accommodat et volandi artes docet. Post haec, Daedalus qui nato timet,

dis, in urbe La Roche, scripserunt (ian. MCMXII). Eis gratulamur speramusque fore, ut Latinitatem eodem entusiasmo semper colant.

sequi hortatur. Velut ales ab alto nido, ambo alis levati ante volant. Aliqui piscator aut pastor aut arator videns hos homines qui auras capere possint, obstupescit creditque esse deos. Postquam Delos Parosque retro relictæ sunt, Icarus, felix audaci volatu, ducem deserit et ad solem ascendit.

Eheu! Calor Phoebi ceram, quae pennas tenebat, mollit. Cadit puer, carens remigiis, patris nomen clamitans. Excipitur mari, quod nomen ab illo traxit. Pater infelix puerum suum undique versus requirit. Nusquam invenit donec pennas in undis aspicit. Flens devovensque artes suas, in sepulcro corpus filii sui condit. Insula, ubi sepultus est, a nomine dicta est.

Postea, Daedalus Siciliam attingit, sed Minos miserum architectum ibi persequitur. Sicilia a Cocalo rege regitur; Cocalides, filiae regis, Daedalum adiuvant et, uno die, Minoem in balneo suo bullunt. Minos in infernis iudex fit et Daedalus aedificia multa exstruet in Siciliā. ■



Daedalus et Icarus,  
Romae in Villa Albani



# DE SEMINARIIS INTERNATIONALIBUS

## QUAE "DA ROMA ALLA TERZA ROMA" INSCRIBUNTUR

SCRIPSIT PROFESSOR IOHANNES IRMSCHER BEROLINENSIS

Anno MCMLXXXI Petrangelus Catalano professor doctissimus, qui in Universitate studiorum Romana quae La Sapienza appellatur ius Romanum docet, adiutus a Paulo Siniscalco viro humanissimo in eadem universitate professor patrologiae publicus ordinarius, ex omnibus partibus viros atque feminas historiae peritos Romam in Urbem aeternam invitavit, ut de idea atque notione Romana quomodo vetussimis temporibus ortae posterioribus aetatibus explicatae essent disputationes. Thesma propositum actualissimum esse et maxime idoneum ad historiam Europae cognoscendam et intelligendam conventus omnibus qui aderant demonstravit, itaque multi eis qui convenitum convocaverant libentissime adfuerunt. Universitas studiorum supra nominata seminaria studiis ad ius et religionem pertinentibus ascripsit, Consilium a Republica Italica investigationibus scientificis destinatum multipliciter subvenit, senatus autem Urbis aeternae, decrevit, ut quotannis die Palilium in Capitolio praeclarissimo illa seminaria sollemniter instituerentur.

Quae vel communia vel differentia ad Romam primam, id est Roma Italica, et ad Romam secundam, id est Constantinopolis, et ad Romam tertiam, id est Moscovia, spectant, seminariorum participes in unam vel in alteram partem subtiliter iudicant. Seminaria complures disciplinas ad scopum communem conjungunt; iuris periti, theologi, philologi, historici unanimiter cooperantur. Secundi seminarii anno MCMLXXXII habitu participes quid notio Romana significavisset interrogabant. In statum hominum, in statum civium rerum publicarum historicarum, in statum civium communitatis omnium hominum universalis quaestiones ponebantur.

De institutionum spatiis tam occidentalibus quam orientalibus, quae traditionem universalem ideae atque notionis Romanae redolent, tertium seminarium tractabat. Quid significavissent Urbs aeterna, fines imperii, orbis terrarum, quaerebatur. Sed etiam de translatione imperii, quibus modis et formis peracta esset, et de prophetiis deque ordine imperiorum Danieliano in Vetere Testamento reperto, quomodo a posterioribus cognitus esset, nova audiebantur.

Transeamus ad seminarium quartum! Disputabatur de imperiis: de imperio Romano, Graeco, Russiaco. Quae instrumenta sive mentalia sive materialia ad imperia regenda suppetebant? Notionem imperii et ad rem publicam et ad religionem pertinere dilucide aperiebatur. Foedus quod significavisset interpretandum erat.

Quid interesset inter centrum imperii et eius partes longinquas quintum seminarium anno MCMLXXXV habitum quod «Roma extra Romam» inscriptum erat scrutabatur. Quae extra caput mundi erant, quomodo administrabantur? Quomodo externa ab internis videbantur?

Sextum seminarium bipartitum appellari potest, quoniam Romae apertum et Moscoviae perrectum erat. Cum ab initio viri feminaeque doctissimi e Russia venientes seminaris Romanis adessent, qui seminaria dirigebant non solum Romae primae sed etiam in sede tertiae Romae conventus agi cupiverant. Romae in Capitolio et Moscoviae in aedibus Academiae scientiarum comparabatur, quibus de causis et quo modo illa capita centra politica, ecclesiastica, humana facta essent

Septimum seminarium anno MDMLXXXVII Romae habitum est. Quomodo ius Romanum in iura atque mores terrarum Europae orientalis continuo influxisset exemplis gravibus demonstrabatur; identidem ex illis exemplis continuatio historica et unitas totius Europae humanitatisque Europaea elucide apparuerunt.

Quid Romani, Byzantini, Russi de pace facienda atque conservanda cogitavissent, in seminario octavo tractabatur. Vocabula *pax*, *trene*, *mīr* homines docti interpretabantur ostendentes vocabulum Russiacum *mīr* mirifice non solum pacem, sed etiam mundum significare.

Novum seminarium anni MDMLXXXIX iterum bipartitum erat et Romae et Moscoviae habitum. Sociis seminaris collectio documentorum ad historiam Russiacam pertinentium, quae inscribitur «L'idée de Rome à Moscou, XV<sup>e</sup>- XVI<sup>e</sup> siècles. Documents pour l'histoire de la pensée sociale russe» proposita est. Librum historiae curiosum utilissimum Universitas studiorum Romana Academia scientiarum Mosquensi cooperante edendum curavit. Praeterea memoria patriarchatus Mosquen-

sis, qui anno MDLXXXIX constitutus erat, celebatur.

Anno MCMXC de idea Romana sive iuridica sive politica, quomodo viri illustres ea usi essent, disputabatur. De Fabio Pictore, de Dionysio Halicarnassensi, de Iustino II imperatore, de Leone Sapiente, de Theophylacto archiepiscopo Achridae, de Dusan Rascianorum principe, de Martino Lutherio, de Bellarmino cardinale, de Antonio Possevino S.J. res novae magnique momenti nuntiatae sunt.


Seminarium quoque undecimum in formam bipartitam redactum erat. Quae inter religionem et politicam, inter sacerdotium et imperium interessent, quaerebatur. Ulpianum iuris consultum qui dicitur classicum iurisprudentiam divinarum atque humanarum rerum notitiam, iusti atque iniusti scientiam definivisse in memoriam reducitur. Quando et qua re sacerdotium et imperium quasi symphonia concinerent examinabatur.

Ultimo autem seminario Romae habito de differentia generis humani universi et singularum nationum, quomodo in iuribus, moribus, ingenii Romae, Constantinopoli, Moscoviae apparerent, agendum erat. De notionibus Graecis, Latinis, Slavicis ad geographiam, ad rerum publicarum administrationem, ad rationem politicam pertinentibus auditores subtiliter docebantur. Doctrinam Christianam illas notiones atque mores universi generis humani recepisse atque multipliciter mutavisse didicerunt.

Seminaria internationalia «Da Roma alla Terza Roma» appellata multa ad unitatem Europae, quae a Romanitate orta est, cognoscendam attribuisse mihi persuasum est. Multae quaestiones historicae, philologicae, humanisticae - etiam nunc solvendae sunt novaeque emergent. Qua de causa in re publica litterarum, quae omnes gentes complectitur, seminaria Romana locum bonum obtinent. ■

## LIBERTAS

CECINIT ARITUNEUS MIZUNO



*De tribus heroibus quos canit Arituneus Mizuno fortasse vix iam recordantur plerique nostrorum aequalium, cum tot res intra breve tempus in Russia mutatae sint. Ceciderunt illi tres anno 1991 mense Augusto cum populus tyrannidi infestus suos legatos a rebellantibus militibus tueretur.*

Clara canam : sed ut ipse color nitet aëre motus,  
calore Solis imbrisque, centuplex,  
mille modis ita laus hominum sub Apollinis aras  
dicetur : arte, nil querare, iudicum ! —  
at tamen egregii est patriam deamare domumque 5  
et, ut pericla perditura sunt suos,  
pro patria cecidisse. Cocles uestus illud et ipse,  
Superbus ut decus ferente cum manu  
ligneoli premit arma gerens iter Vrbis ad arcem  
quod ad peraequa Pontis arua Sublici est, 10  
egit amore patrum : nihil facit ipsius artus.  
quotus uir inter aeuia quisque fortior ?

At mutanda mele. modo quoddam triste canendum est,  
et id sublime, funus umido genis.  
heu studio perierte uiri iuuenesue uetusto 15  
uel occidere credulo tyrannidi :  
tres heroes erant qui non nisi corpore prauum  
petitionis agmen impediuerunt.  
interitus hos uoce sonat miseranter amanti  
renata Mosca Russicique Praesides ; 20  
qui mixta domui lacrima solamina praebent  
superstitti nepotibusque lucidae.  
namque ibi posteritatis erunt sacra moenia, turri  
potentiora, fabricata sanguine.

sanguine sanguinei, populi populisque suorum 25  
tegentur usque, ceu pedes pedestribus.  
haec saeclis uirtus laudabilis a moribundis  
humi canetur, orbis acta cum dabunt.

Sidera reppereris generis quod adesse negetur —  
inepta pauca continebis hinc procul : 30  
his quis at in gregibus deus ? impia qualis oportet  
canam poeta ? — sed quibus sit aptior  
aetherius locus, hos superantia uertit in astra  
deum deaeque numen unicornium.  
non modo nam patriam tegerent uoluere, sed orbis 35  
necessae liber esset usque dixerunt.  
curribus hinc posuere uiri quod ad astra feratur  
inerme corpus : igne currus edomet !  
rem uolens tamen ungue secet ueterante uirentem  
gubernius ! propinquet orbis inferis ! 40  
at timidi fugerent obitus. potuere silentes  
tyrannicis sub imbre blanda fundere ! —  
hosce mori decus in specimen tamen astra probarunt  
eleutherosque praetulisse mortuos.

(N.B.—Iambi undique puri, hexametri uero uu.1-11 et 29-43  
penitus puri sed uu.13-27 consilio contaminati.)

CECINIT KAL. IAN. A. V. C. MMDCXLV  
ARITVNEVS MIZVNO

# LAMBDA ET ALIA CARMINA

CECINIT JOSEPHUS TUSIANI

## LAMBDA = LAMPAS



Illucet: lux illa oritur quae illuminat omne  
quod latet in terris, infima et alta ligans.  
Illecebrosa dies, illecta et pagina amoris,  
illaqueas oculos, illicis atque animum.  
Infremit illimis lyra nunc in pectore laeto,  
unica et ultima lex litora limpida sunt.

## PERVIGILIUM NATALICIUM

Quam soli sumus in terra solique perimus!  
Et quam muta anima est in tanto carmine caeli!  
Dulces o pueri, Domini qui attenditis horam  
cumque illa de algente polo munuscula bella,  
num locus inter vos remanet cui sola senecta est?  
Credere vix possum me, me quoque, tempore in illo  
sicut vos habuisse fidem puerumque fuisse.  
O nolite aperire cito munuscula cara,  
ne cito noscatis mendacia mentis acerba.  
Sed reprobamus sum, cuius fallacia vestrum  
inculpabile cor quasi deturpare videtur.  
Vos fortunatos, quibus est vetitum meditari  
de cruce quae sequitur sidus natale tremenda!

## SINE TEMPORE LUDUS

Dum me solis amor protegit aureus  
ac vitae experior gaudia maxima,  
vivens, quomodo, Mors, ultima caritas,  
cum luctu potero conciliare te?  
Me fortasse sines omnia somnia  
lente in mente mea volvere volvere,  
lente in corde meo solvere solvere:  
in ludo simili tempus amabile  
coram me aspiciam sistere sistere.

## SUBCONSCIUIM

Te, subconscia pars mei verenda,  
te cantare velim fluente cantu,  
sed quae verba tuae notare possunt  
vitae invisibilis vagum valorem?  
Hoc tantum scio de tuo tenore:  
mecum nata, meas sequentias horas  
usque ad dona silentii supremi.  
Etsi in me, sine me videris esse  
atque in me latitans pates super me.  
Noctes atque dies meas tueris,  
me totumque vigil tenaxque noscis,  
sed tu ignota manes magisque sola  
et, quando procul es, propinquaque vivis.  
Raras somnia me docent favillas  
ignis qui tuus est profundus ardor:

ardes sponte tua, pericla vitae  
ignorans. Caro lassa dormit et tu  
numquam debilitata, ad alta ab imis  
insomnis volitas nihil timendo;  
aut de sideribus redis ad antra  
inque horrenda cadis rubeta abyssi,  
fundum tangis; ego, madore mollis,  
sonnum abrumpo, meam premendo vitam.  
O subconscia pars mei, quid es tu?  
Es quod sum? Quod eram? Quod esse vellem?  
Quod numquam potero explicare mortis?  
Fortasse omne quod es valesque cessat  
si solum memini tui triumphi  
intactum meritum: perenniter tu  
pulsasti a puero, silenter audax.

# DE IUSTO LIPSIO CELEBRANDO

OCCASIONE SEMINARII BELGICI DATA



Uti occasione proximi seminarii Belgici ad Iustum Lipsium celebrandum eo magis decet quod eius memoria in ipso vico, ubi natus est, paululum neglegi videtur: pulchra quidem statua stat in medio foro (inscriptione Latina ornata!), sed eius domus, urticis reducta, pecuniam refectioni necessariam iam diu exspectat.

Iscae autem (v. Overijse, prope Vavriam ubi fiet seminarium Latinum) natus est Iustus Lipsius anno 1547, obiit Lovanii anno 1606. Qui philologus numeratur inter sexti decimi saeculi doctissimos viros. Professor fuit Lugduni Batavorum et Lovani; editionem Taciti confecit. Postquam humanistae in scribendo Ciceronianismum tam diu imitati sunt, ipse modum Latine scribendi renovare volens Senecam et Plautum secutus est. Magnam famam meruit operibus q.t. «Politica» et «De constantia». Scripsit etiam de bellis antiquis; paginam vobis proponimus e libro excerptam, cui titulus est «Poliorceticon»:


«Caesar II Gallic.: *Ubi vineis actis, aggere exstructo, turrim constitui procul viderunt, primum irridere ex muro atque increpitare verbis. Quo tanta machinatio ab tanto spatio exstrueretur? Quibusnam manibus aut quibus viribus homines tantulae statuerae (nam plerisque omnibus Gallis, praे magnitudine corporum suorum, nostra brevitas contemptui est) tanti oneris turrim in muros sese collocare confiderent? Quibus postremis verbis Faernus et Fulvius emendant, in muro; nec assentior, qui scio non in ipso muro turrim locari potuisse, sed iuxta eos et in eos. Seneca autem hunc stuporem et inscitiam barbarorum universe exagitat, De vita beata, cap. XXVI: *Ottosi divitis luditis, nec providetis earum periculum, sicut barbari plerumque inclusi et ignari machinarum, segnes laborem obsidentium spectant, nec quo illa pertineant, quae ex longinquo instruuntur, intellegunt.**

Imo vero Galli illi, apud Caesarem, cum moveri eas viderunt et occulte accedere, divinum aliquid rati, ad eum miserunt legatos de pace, his verbis: *Non se existimare Romanos sine deorum ope bellum gerere, qui tantae altitudinis machinationes tanta celeritate promovere, et ex propinquitate pugnare possent.*

Eadem simplicitas (ne quis Gallis nostris insultet) Indorum, quorum oppidum Mazacas cum Alexander obsideret (auctor Curtius lib. VIII) *praecipue rudes talium operum terrebant mobiles turres, tantasque moles, nulla ope quae cerneretur adiutas, deorum numine agi credebant.*

- Et quid tu rides tecum Billehee?

- BILL. Indorum illorum mentio, novellos istos et ad Oceanum repertos, auspiciis Caroli Quinti, mihi sublicit: quos equi nostri equitesque conspecti, et tormenta audita, in eundem deduxere sensum, ut putarent caelestes viros et copias esse; volare sic et currere nova et aetherea animalia, denique fulgurare illos homines et tonare. Itaque simile prosus olim in machinis illis terribilibus et non visis. ■



A. *Turris mobilis, cum gradibus suis ad tabulata singula, et ostensione velamentorum et tabulorum ad latra, ex Herone.* B. *Turris vegeti, cum ponte et Ariete.* C. *Turris latericia Caesaris, cum furibus anchoratis præpendentibus, dum sit opus. Tectum superne, mobile.*

*Iusti Lipsii Poliorceticon sive de machinis tormentis tellis libri quinque,*  
Antverpiae ex officina Plantiniana apud Ioannem Moretum, a. 1599, p. 95